



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. Quomodo Christus infans exercuerit actus internos gratitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

*Quomodo Christus infans exercueris
actus internos gratitudinis.*

IV.

I. **E**Xpende simili modo, quàm perfectè secundum omnem dimensionem Christus in infantia sua, licet nihil foris appareret, continuavit actus internos gratitudinis erga Patrem inchoatos ipso momento Incarnationis. 1. demissè agnoscendo, magni æstimando, grata mente acceptando omnia humanitati suæ collata charismata, seu gratuita beneficia. 2. Datorem omnium reuerenter agnoscendo, magnificando, laudando, amoris & gratitudinis brachijs complectendo. 3. Accepta beneficia omni possibili modo compensare desiderando & statuendo. Et quidem eò perfectius, quò evidentius intuebatur 1. Infinitam diuinæ bonitatis, liberalitatis & benignitatis erga se abyssum. 2. Inæstimabilem excellentiam gratiarum & prærogatiuarum sibi concessarum, insuper omnium, per se suæque merita præuisa, donorum naturæ, gratiæ, gloriæ electis omnibus collatorum & conferendorum. 3. Incomprehensibilem gratuiti amoris excessum,

G

ex

ex quo hæc omnia conferrentur, & quidem ad fines tam sublimes. Suspice sublimitatem illius affectuum gratitudinis, & similes in præsentia excita, ut supra insinuatam, per consueta suspiria iuxta formulam offerendi sacrificium Eucharisticum, quam vide in Enchirid. Indult. c. 15. §. 2.

II. Quàm intensè deplorarit extremam hominum erga diuinam liberalitatis abyssum ingratitude, dolendo tam paucos, eosque tam parcè, rarè, & imperfectè hos actus gratitudinis usurpare: idque eo intensius, quo firmiter apprehendebat tantam ingratitude omnium ingratorum hominum, quotquot sunt, fuerunt, erunt, multipliciter, & enormitatem; tantam eorum cecitatem, socordiam, stupiditatem, cum tam facilè se gratos possent, si vellet, exhibere; & horrendas ingratissimas imminentes pœnas euitare; tantam diuinæ offensæ, quæ hac ingratitude incurritur, grauitatem. His consideratis elice affectus gratitudinis, quoad præteritum, seu affectus compunctionis de tua omniumque ingratitude, cum proposito emendationis.

III. Quàm feruenter proposuerit hos affectus gratitudinis tota vita, & quidem

dem intensissimos continuare etiam in maximis desolationibus, contumelijs, & tormentis: sicque abundè compensare hominum ingratitude, omnesque prouocare ad sui in hac re imitationem: & quidem eò feruentius, quò id gratius æterno Patri, nobisque vtilius esse sciebat. Et his expensis subijce desiderium similes gratitudinis actus internos sæpius renouandi, externosque hos vel illos superaddendi, e. c. conando benè orare, & alias ordinarias functiones perfectè obire ex motiuo gratitudinis.

*Quomodo eosdem gratitudinis affectus
tunc frequentârit Beata
Mater.* V.

I. **E**Xpende quàm purè, intensè, constanter, insatiabiliter B. Virgo Deipara eosdem prædictos gratitudinis affectus, vt ab initio vsus rationis ceperrat, nunc Mater effecta Creatoris continuerit, cum quotidie coram cerneret, foueret, tractaret, lactaret, & portaret illum, à quo sic se dilectam, sic electam, sic euectam supra omnes submissè recolebat: Et quidem eò eminentius,